



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Scholia In Primarias Preces Imperatoris**

**Chokier, Jean de**

**Coloniae Agrippinae, 1674**

XXIV. Cæci, surdi, muti, an capaces Precum

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62387](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62387)

S SINGULIS PERSONIS) Sed an cæci, surdi, muti, aut aliqua parte corporis vitiiati, sint capaces istarum Primariis Precibus? & videntur esse, quia ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus, *l. de pretio, ff. de public. in rem actio*. Hic casus tamen distinctionem recipit: Nam aut agitur de acceptando beneficio, quod habet aliquem ordinem annexum actu, vel in proxima potentia, veluti intra annum, aut de beneficio, quod non habet ordinem annexum: priori articulo, dubium non est, quin sint incapaces Precibus tales personæ: quia inhabilis ad ordines, inhabilis quoque est ad beneficium, & qui repellitur ab ordine suscipiendo, etiam repellitur à beneficio obtinendo. *Maiol. tract. de irregul. lib. 1. cap. 20.* Cæcus autem repellitur ab ordine suscipiendo & beneficio obtinendo, *Maiol. d. c. 10.* Idem de surdo, *Maiol. lib. 1. cap. 25.* Similiter de muto, *Maiol. d. lib. 1. cap. 26.* Secundo autem casu videtur illos esse capaces, dummodo non sint beneficia curam animarum requirentia, accedente Pontificis dispensatione, neque enim alius super irregularitate, quæ ex corporis vitio nascitur, dispensat; *Covar. in Relectio. cap. si furiosus, 1. parte in initio.* Caterum, si corpore vitiiati sint dispensati simpliciter ad ordines, non videntur dispensati ad beneficium, nisi fortassis simplex: dispensatusque ad beneficium simplex non erit dispensatus ad beneficium curatum, aut requirens personalem residentiam, *Burg. tract. de irregul. parte 2. tit. de Interpret. exten. & restrict. dispens. Covar. de sponsal. & matrim. 2. part. cap. 7. §. 8. num. 6.* Ex quo fit, ut Præcistæ corpore vitia, beneficia vigore Precum citra dispensationem acceptare non possint. Neque obstat Indulti textum simpliciter, & indefinitè loqui, ibi PERSONIS SINGULIS, quia restringenda sunt ad habiles, *arg. text. cum glo. in l. in provinciali, §. final. cum l. seqq. ff. de No. operis, nunciat. ubi dicitur omnes cives admitti adnunciandum novum opus in publico, quia reip. interest, & tamen ad idoneos restringitur, ut ibi per glo. Cagnol. ad Reg. Servus Reip. ff. de reg. iur.*

r IN VNO BENEFICIO) Neque enim Papa intendit eundem collatorem pluribus beneficiis gravare, nisi aliud exprimat, *cap. Mandatum, de rescript. & ideo si nominatus ad primam præbendam, negligit illam petere, extincta erit illius gratia, cap. si Clericus, cum ibi, not. de præbend. in 6. Staphil. de lit. grat. tit. de Sexta forma expectat.* Et locus erit secundæ expectativæ. Ideo executor secundæ Impetrantis poterit monere primum, ut faciat sibi provideri, præfigendo eidem tempus competens, quo elapso poterit secundo providere, quod tamen limitatur duobus modis, 1. nisi in literis princ. adsit clausula, QVAM DUXERIT ACCEPANDAM, quia tunc licet per negligentiam omittat primam acceptare, poterit nihilominus petere secundam nulli alii debitam, *Ros. decis. 37. incip. not. quod ibi.* Nec isto casu locum habet dispositio dicti cap. si Clericus. Secundo quando neglexit petere debitam, dum adhuc res est integra: tunc enim potest illam vacantem adhuc petere & acceptare *Aegid. decis. 738. incip. Canon-*

(cæci, sur-  
di, muti  
an sint ca-  
paces istis  
Precibus?)

Preces in  
vno dun-  
taxat be-  
neficio  
Collatores  
gravat.  
Precista si  
sit negli-  
gens in  
acceptan-  
do an ex-  
cidat sua  
gratia?